

In die illa:

- ¹ Egrediétur virga de stirpe Iesse,
et flos de radíce eius ascéndet;
- ² et requiéscet super eum spíritus Dómini:
spíritus sapiéntiæ et intelléctus,
spíritus consílii et fortitúdinis,
spíritus sciéntiæ et timóris Dómini;
- ³ et delíciæ eius in timóre Dómini.
Non secúndum visiónem oculórum iudicábit
neque secúndum audítum áurium decérnet;
- ⁴ sed iudicábit in iustítia páuperes
et decérnet in æquitáte pro mansuétis terræ;
et percútiet terram virga oris sui
et spírítu labiórum suórum interfíciét ímpium.
- ⁵ Et erit iustítia cíngrulum lumbórum eius,
et fides cinctórium renum eius.
- ⁶ Habitábit lupus cum agno,
et pardus cum hædo accubábit;
vítulus et leo simul saginabúntur,
et puer párvulus minábit eos.
- ⁷ Vítula et ursus pascéntur,
simul accubábunt cátuli eórum;
et leo sicut bos cómedet páleas.
- ⁸ Et ludet infans ab úbere
super forámine áspidis;
et in cavérnam réguli,
qui ablactátus fúerit, manum suam mittet.
- ⁹ Non nocébunt et non occídent
in univérso monte sancto meo,
quia plena erit terra sciéntia Dómini,

sicut aquæ mare opériunt.

¹⁰ In die illa radix Iesse
stat in signum populórum;
ipsam gentes requírent,
et erit sedes eius gloriósa.

Verbum Dómini.